



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. VIII. De varijs propositionum qualificationibus siue censuris?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

qui tenentur ea explicitè credere. Quæ valde pauca sunt respectu eorum quæ communiter omnes fatemur absolute debere dici esse de fide. vide dicta disp. 12. dub. 6. n. 66.

123 Secundo, si quis eiusmodi propositioni sufficienter sibi cognita, ita ut non posset prudenter dubitare quin sit à Deo reuelata, dissentiret, esset verè hæreticus, quia pertinaciter erraret in fide, & interpretatiuè faceret Deum mendacem, ut ostendit in simili n. 119.

124 Vnde sequitur, dicendum Tertio, propositionem supra dictæ contradictoriam, propriè loquendo debere dici hæreticā. Probatur, quia, ut docet ipse Lorca disp. 38. n. 14. illa propositio debet dici hæretica, quæ quantum est ex se, est nata esse obiectum hæresis, siue credentē constituit hæreticum, quamuis per accidens ratione ignorantie eam credens possit non esse hæreticus: atqui dicta propositio est talis, ut patet ex dictis n. 123. ergo est hæretica. Confirmatur ex Concilio Constantiensi sess. 8. ubi dicit multas propositiones Wiclephi esse notoriè hæreticas, quibus verbis aperte innuit aliquas propositiones posse esse hæreticas non notoriè, siue ita esse hæreticas, ut hoc non sit omnino manifestum; quia alias si omnes propositiones hæreticæ, essent necessariò notoriè tales, frustra tamquam aliquid singulare hoc de aliquibus diceret. Non addidit autem eam vocem notoriè singulis qualificationibus, tum quia initio posita sufficienter poterat ad omnes sequentes referri, tum etiam quia magis clarum ac manifestum est, quæ propositio sit hæretica, quam quæ sit erronea. Ex quibus patet, argumentum Lorca positum n. 117. pro nobis facere. Quare huius sententiæ sunt Castro lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 1. Turrecr. l. 4. Summa p. 2. cap. 3. Gabriel in 4 d. 23. q. 2. art. 1. Couarr. lib. 3. var. resol. cap. 1.

D V B I V M VIII.

De variis propositionum qualificationibus, siue censuris.

125 Nota, propositiones aliqua ratione directè aut indirectè fidei contrarias aut nociuas in varijs gradibus constitui, prout minùs vel magis ei aduersantur, atque ita varijs nominibus notari, quibus earum qualitas, qua fidei aduersantur, significatur; ideoque dicuntur per ea nomina qualificari.

Quædam enim dicuntur hæreticæ, quædam erroneæ, quædam hæresim sapientes, quædam suspectæ, quædam hæresi proximæ, quædam malè sonantes, præsue aures offendentes, quædam temerariæ. Occasio autem horum nominum est desumpta ex Concilio Constantiensi sess. 8. ubi dictis nominibus notantur propositiones Iohannis Hus: de quibus variè Auctores disputant, ut explicet quibus propositionibus singula hæc nomina propriè conueniant. Et valde inter se dissentiunt, dum unus eas hoc modo definit, alius alio, ut videre est apud Canum lib. 12. de Locis Theol. cap. 11. Caiet. 2. 2. q. 11. ar. 1. Bañez ibid. art. 2. Castro supra, & Turrecr. c. 10. Sil-

Canus.
Caietan.
Bañez.
Castro.
Turrecr.
Siluester.

uest. verbo hæresis q. 1. Lorcam 2. 2. q. 11. disp. 40. Lorca. Turrian. disp. 55. dub. 3. Sed quia hæc quæstiones Turrianus sunt ferè de nomine, nec tanti momenti, breuiter hic solum declarabo, quid nobis videatur probabilius: qui fullius hæc disputata cupit videre, dictos Auctores consulat.

Propositio hæretica, Iudaica, Pagana, athea.

126 Igitur propositio hæretica propriè loquendo est quæ articulum aliquem fidei, siue hic firmamens talis, siue non manifestè, ita negat, eiuè directè contradicit, ut tamen non tollat omnino fidem Christianam, siue ut illius assensus possit consistere cum huius professione. Et simili modo Iudaica est, qua ita Christus negatur, ut tamen lex vetus admittatur. Pagana verò, qua iratam fides Iudaica quam Christiana negatur, ut tamen non negatur esse aliquem Deum. Athea denum, qua Deus absolute saltem implicite negatur. Patet ex dictis, quia illa propositio dicitur hæretica, Iudaica, &c. cui aliquis fidelis voluntariè siue pertinaciter assentiens, sit hæreticus, aut Iudæus, &c. atqui propositiones illæ sunt tales: ergo, &c.

127 Caiet. & Bañez supra, volunt dictas propositiones non debere dici absolute tales, sed tantum quando animo hæretico, aut Iudaico, &c. proferuntur, atque ita eas propositiones prolata ab ignorante non esse tales. Probant Primò, quia hæresis nequit esse sine pertinacia: atqui propositio prolata ab ignorante nò habet pertinaciam: ergo non est hæresis. Secundò, quia sicut qui credit falsum est falsus, & qui fornicationem admittit, est fornicator, ita qui credit hæresim est hæreticus: atqui, qui ignoranter credit propositionem alias hæreticam, non est hæreticus: ergo talis propositio in eo non est hæretica. Tertio, quia alias propositio hæretica nò differret ab erronea. Quarto, quia alias propositio, quæ semel est hæretica, semper esset hæretica, & sic nullæ essent nouæ hereses. Quintò, quia hæc propositio, *Christus non est mortuus*, iam est hæretica, & tamen non fuit talis ante Christi mortem: ergo propositio semel hæretica, non est semper talis pro quouis tempore.

128 Sed hæc obiectiones supponunt falsum, scilicet hæresim propriè & formaliter sumptam, quæ significat pertinax iudicium intellectus fidei contrarium, idem esse cum propositione hæretica, quæ significat solum obiectum illius iudicii: quæ si distinguas, illas faciliè solues. Eiusmodi tamen propositio quandoque tropicè dicitur hæresis, sicut fidei obiectum dicitur fides.

Ad primum igitur, concedo totum accipiendo hæresim propriè; si autem accipiat pro obiecto hæreseos, siue pro propositione hæretica, nego maiorem. Ad secundum, nego maiorem: nam ut quis sit fornicator, vel falsus siue deceptus, non requiritur pertinacia, sicut requiritur ut quis sit hæreticus. Adde, fornicationem significare actionem malam, propositionem verò hæreticam solum significare obiectum actionis malæ.

Ad tertium, nego assumptum: nam ex dictis satis patebit eas aliter differre.

Ad quartum, respondeo propositionem semel

propositio
hæretica
manet per-
petuo talis:
non tamen
fuit neces-
sario semper
hæretica.

mel hæreticam manere perpetuo hæreticā, non tamen necessario semper fuisse hæreticam: quia antequam Deus eius contradictorium testetur esse verum, sicut hoc non fuit de fide, ita nec illa fuit hæretica. Quamvis autem post tempora Apostolorum sicut nullæ propositiones incipiunt recenter esse de fide, ita nullæ incipiunt esse hæreticæ (Excipio casus quibus Deus aliqua quibusdam priuatim reuelat; possunt tamen incipere nouæ hæreses, dum aliqui recenter incipiunt errare circa fidem sibi sufficienter propositam credentes propositionem hæreticam esse veram.

propositio
diuerso tem-
pore prolata,
est formaliter di-
uersa.

Ad quintum, concedo totum: quia tunc contradictorium illius propositionis nondum erat reuelatum. Adde, hanc propositionem, *Christus non est mortuus*, iam prolatam, & prolatam ante bis mille annos non esse formaliter eandem, cum habeat distinctam omnino significationem. Nam iam prolata significat Christum ante hoc tempus non fuisse mortuum; prius verò prolata significabat eum non fuisse mortuum pro eo tempore, siue ante bis mille annos; quæ valde diuersa sunt, & vnum verum, aliud falsum.

Propositio erronea, & errori proxima.

130
Lorca.

Lorca 2.2. quæst. 11. disput. 40. refutatis varijs opinionibus priorem definit esse eam, *quæ directe quidem doctrina fidei aduersatur, sed non manifeste & notorie*. Iam supra num. 124. ostendi talem propositionem melius dici hæreticam. Quare cum Maldero 2.2. q. 11. ar. 2. membr. 5. ad 3. Turrian. disput. 55. dub. 3. §. Item Cano, & alijs credo erroneam dici, quæ directe contradicit non ipsi fidei, sed conclusioni euidenter ex principiis fidei deductæ. Sicut errori proxima dicitur ea, quæ ita contradicit conclusioni probabilissimæ ex principiis fidei deductæ.

Propositio hæresim sapiens.

131
Lorca.

Hæc à Lorca supra num. 10. non malè definitur esse ea, quæ non continet propriè errorem in fide, videtur tamen eum supponere, siue ex eo nasci; & est probabile argumentum eam proferentem errare in fide. Quare etiam posset dici suspecta de hæresi, quia proferentem reddit suspectum, ut innuit Lorca supra num. 12. Talem autem ait esse hanc; *Stultum & inutile est Venerab. Sacramentum solemnem pompam in supplicationibus circumferre*. Hæc enim videtur supponere Christum non esse verè in eo Sacramento præsentem; & qui illam tenet meritò suspicatur etiam hæresim tenere.

Propositio hæresi proxima.

132
Lorca.

Lorca supra num. 11. hanc docet, esse eam, quam supra vocauimus erroneam, & non malè sic etiam vocari potest: nam sicut propositio quæ apertè deducitur ex principiis fidei, quia habet certitudinem proximam certitudini fidei, potest non incommode dici proxima fidei; ita propositio ei contradictoria videtur posse dici proxima hæresi. Si tamen vim illius nominis, & communem vsum (qui has duas propositiones distinguit) penitiùs inspicias, melius dicas, cum aliqua propositio dicitur proxima fidei aut hæ-

resi, non tam significari qualis in se sit, quam qualis appareat. Atque ita communiter dicitur proxima fidei, quæ probabiliter, etsi non certò probatur esse de fide, siue verè à Deo reuelata sit, siue non. Quæ ratione fieri potest ut quandoque verè à parte rei sit à Deo reuelata, atque ita sit de fide. Et huic contradictoria est proxima hæresi, siue à parte rei sit verè hæretica, siue non.

Propositio male sonans, aut temeraria.

133

Prior ex his dicitur, quæ sensu magis obuiò & vñtato significat errorem contra fidem, potest tamen habere sensum verum & Catholicum. Ita cum alijs Lorca supra num. 15. aitque talem esse hanc, *Perniciosum est dicere clerum*. Temeraria ab omnibus communiter dicitur, quæ in rebus ad fidem aliquo modo aut etiam ad bonos mores pertinentibus sine sufficiente fundamento contra communem Doctorum sententiam asseritur.

134

Disputant hic præterea Doctores, an Ecclesia definiendo aliquam propositionem esse erroneam, aut sapientem hæresim, aut temerariam, &c. possit in eo errare.

Bañez verò 2.2. q. 11. ar. 2. in fine docet, esse erroneum, aut errori proximum, dicere Ecclesiam in eo posse errare; Malderus ibid. membr. 5. in fine dicit id esse hæreticum; Turrian. autem disput. 55. dub. 5. dicit esse valde certum eam non posse in ea definitione errare. Mihi cum Maldero valde probabile est, esse de fide eam non posse errare; quia 1. ad Tim. 3. Ecclesia dicitur *columna & firmamentum veritatis*. & Iohan. 14. & 16. promittitur ei spiritus veritatis, siue perpetua assistentia Spiritus sancti, qui doceat eam omnem veritatem. Quod videtur non solum intelligendum de rebus quæ propriè sunt de fide, sed etiam de ijs quæ ad fidem aliquo modo pertinent, quales sunt illarum sententiarum qualificationes, quarum assertio fidem aliquo modo labefactare posset.

135

Addunt tamen Malderus & Bañez supra, minus peccare siue errare eum qui asserit propositionem aliquam esse veram aut probabilem, quam Ecclesia definit esse erroneam aut temerariam, &c. quam eum qui dicit Ecclesiam in ea definitione errare. Cuius ipsi diuersas rationes reddunt: sed vera ratio est, quia prior directè dicit Ecclesiam in sua definitione errare, atque ita posito quòd sit de fide Ecclesiam in ea errare non posse, asserit propositionem verè hæreticam; alter verò solum asserit id, ex quo per euidentem consequentiam sequitur Ecclesiam errare: atque ita non asserit hæresim; quia etsi sit de fide Ecclesiam in ea definitione non errare, tamen res definita non est de fide, quia non est à Deo reuelata. Nam alias Ecclesia non deberet definire contra sentientes errare, aut temere agere, &c. sed esse hæreticos, quia negarent articulum fidei. vide dicta disput. 9. dub. 5. & disput. 12. dub. 6.